Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1995
Quelle:
Copyright:

Fol. 371. habetur Ejus *Sermo de resurrectione Domini pronunciatus in die Paſche Anno domini M° CCCC° Viceſimo.* In illud: *Surrexit non eſt hic. Marc. ult.* hoc initio: *Venerabiles Patres* &c. *Euangelicus propheta yſaias, qui miſteria reſurrectionis* &c.

Fol. 381. *Principium primum in curſus biblie* et poſtea IV. *Principia* five Proluſiones in totidem *Libros Sententiarum*, quarum I. ſubſcripta: *Anno 1421. In die S. Amandi, pronunciata in die S. Narciſſi.*

A *fol.* 405. Sermones ſacri VI. 1) in illud: *Secus pedes domini audiebat verbum illius* Luc. 10. 2) in illud: *Virtus dei eſt in ſalutem omni credenti.* Rom. 1. 3) in illud: *Conſiderate lilia agri* &c. Matth. 6. 4) in illud: *Beati qui habitant in domo tua.* Pſ. 83. 5) in illud: *Induamur arma lucis.* Rom. 13. 6) in illud: *Hij ſunt viri miſericordie.* Eccl. 44. Atque poſtremus hic M. *Petri de Pulka* eſt, ut dixi *Vol.* I. P. 3. *Cod.* DCCCCLXIX. et alias.

DCCCXVI.

U. 455 —64 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 271. f. orditur Seriem Scriptorum in IX Volumnia compactorum *Johannis Fabri* Ep. *Vindob.* qui actis et ſcriptis de Eccleſia Chriſti optime meritus exceſſit a. 1541. ut pluribus docetur in *Scriptt. Univ. Vienn.* P. II. p. 51. et in *Hiſtoria* mea vernac. *Typographiae Vienn.* paſſim. Seriem ſimilem dedi *Vol.* I. ut ejus *Index* demonſtrat. Quae in praeſenti continentur, partim αὐτογραφα, partim amanuenſium calamis exarata hic uno Numero comprehendere, et ſub uno conſpectu ponere viſum eſt.

Vol. igitur I. habentur Homiletica: *Sermones de Sex operibus Miſericordiae habiti Viennae* an. 1538. ἀνέκδοτοι numero VI. *Sermones* per Anni Dominicas manu Autoris, e quibus *Sermones de Aduentu Domini* dicuntur *Exſcripti ad impreſſuram*, quae ſecuta eſt Coloniae 1541.

Vol. II. habentur *Heretica ex Lutero et Erronea.* Enotantur videlicet ejus Opera additis animadverſionibus.

Vol. III. Adverſaria polemica, plurimum contra Confeſſionem *Auguſtanam*, et varios Imperatori a Proteſtantibus oblatos Libellos directa, latina, germanica; item *Lutheri Antilogiae* typis deinceps non ſemel editae, v. g. inter Opuſcula *Lipſiae* 1537. f.

Vol. IV. Adverſaria primum polemica inſcripta: *Collectanea contra Lutheranos*, in certos Titulos digeſta; dein *Collectanea ex Hebraeis, menſe Julio Anno* 1528. nullo Librorum biblicorum ſervato ordine. Notantur vero literis latinis Voces hebraicae variae addito ſignificatu.

Vol. V. Rurſus Polemica. Primum quidem *Libri III. De Fide, de Sacramentis, de Ceremoniis* in Capite diſtributi, praemiſſis ubique *Lutheri* locis et ſubjecta confutatione. Ad calcem additum: *Dresdæ XXII. Aprilis* 1530.